cere, überweisen. Sic Johan. 16, v. 8. Spiritus ſanctus ἐλέγξει, id eſt, non tantùm accuſabit ſed etiam convincet mundum de peccato. Hinc ἐλέγχειν non rarò idem eſt, ac ἐπιστομίζειν, ita reprehendere ut reo os obthuretur, ne qvid ad excuſationem ſui poſſit proferre. Sic Tit. 1. v. 9. τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, qvod v. 11. per ἐπιστομίζειν explicatur.

5. Eſt autem *Elenchus vox æqvivoca*, & 1. notat comprehenſionem, σύλλαβον, indicem. 2. accuſationem, criminationem. 3. proceriores margaritæ, faſtigiatam habentes longitudinem, dicuntur Elenchi, längliche Perlen. Uniones alias & titulatos & cylindros apellamus. Juvenal. Sat. 6, v. 460.

*Auribus extentis magnos commiſit Elenchos.*
Cochletius Carmelita lib. de (Calvini) inferno cap. 7. ibi à Poëta de Elenchis Dialecticis agi credidit: in qvo immanè qvantum eum ratio fugit. Uniones enim oblongos ſic vocat. Vid. Lexic: Etymolog. *Voſſii* p. 191. 4. Dedecus, probrum. In qvâ σημασίᾳ uſurpatur ἐν οὐδετέρῳ, τὸ ἔλεγχος, εος.